



1. Olearij. Gottfr. / diff. de morte et vita  
fidelium cum Christo, Lipsiæ 1710.
2. Olearij. Joh. / diff. de correptione  
concionatoria, Lipsiæ 1689.
3. ——— / diff. de lacrimis Christi sub  
ingressum Hierosolymorum fufis,  
Lipsiæ 1683.
4. ——— / diff. de resurrectione spiritua,  
Lipsiæ 1698.
5. Oporini. Joach. / programma de demon-  
stratione spiritus ac virtutis,  
Göttingæ 1738.
6. ——— / diff. de usu doctæ simplicis,  
fatis contra scepticos, Göttingæ 1739.
7. Ortlob. Joh. Christoph. / diff. de samue,  
a judice et propheta non pontifice,  
aut sacerdote sacrificante, Lipsiæ  
1719.
8. ——— / diff. de pacto Davidis et Abneri  
contra Jebusetum, illicito, Lipsiæ 1709.

7. 2  
5  
IOACHIMI OPORINI  
PROFESSORIS EXTRAORDINARIJ

# INVITATIO

NOBILISSIMORVM DOCTISSIMORVMQVE  
DNN. COMMILITONVM AD PVBLICAS  
DEMONSTRATIONVM HOMILETI-  
CARVM

PRAELECTIONES:

CVI PRAEMITTITVR

DISSERTATIO

DE

DEMONSTRATIONE  
SPIRITVS AC VIRTVTIS

TANQVAM

VERO AEDIFICATIONEM HOMILETICAM  
COGNOSCENDI PRINCIPIO.

---

RECVSÆ GOTTINGÆ

IMPENSIS CHRISTIAN LEBRECHT HIRSCHJ  
MDCCLXXXVIII.

Decorative border line with repeating symbols.

§. I.

§. I. Demonstration Spiritus et virtutis Paulina qualia fuerit

**E**uangelium Iesu Christi *ἐκ ἐν παιδοῖς ἀνδρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως* ab Apostolo Paulo cum Corinthus communitarum esse ipse diuinus Vir 1 Cor. II, 4. totidem verbis affirmat. Negat enim *λόγους παιδῶν ἀνδρωπίνης σοφίας* sibi curae cordique fuisse, probabilitatem scilicet argumentorum, quae humana inuenit sapientia. De rebus quippe, non verbis et elocutione Apostolum I. c. vsque ad v. 13. loqui, nec non *λόγους* et *δύναμιν*, *παιδῶν* et *ἀποδείξει* inuicem opponi, ita, vt *λόγοι* *παιδῶν* res et argumenta persuasoria, *δύναμις* contra nihil nisi verbum Dei secundum res in eo contentas, et *ἀποδείξεις* non nisi argumenta demonstrantia sint, facili negotio declarari potest. Interim tamen Apostolo alius quoque; *λόγους*, aliud *κήρυγμα*, id est, colloquia non minus familiaria sancta, quam publica et ad plures habita oratio fuit l. c. quorum utrumque *λόγοις* *παιδοῖς* oppositum erat, et cuius rationes legitimus expositas 1 Theff. I. v. 5 vbi Apostolus sese Thessalonicensibus ait Euangelium annuntiasse *ἐκ ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι ἁγίῳ*. Quae quidem *δύναμις* et *πνεῦμα* cum *λόγῳ* siue sermone Euangelii concurrent, cui utriusque iunctim, neutri separatim conuersio Thessalonicensium adscribitur, egregie, me iudice, illustrat illam *πνεύματος καὶ δυνάμεως ἀπόδειξιν*, qua Paulus Corinthi usus est. Equidem scio, quae nonnullorum ad 1 Theff. I, 5. fuerit sententia, qua illi per *πνεῦμα* dona spiritus S. dona linguarum, prophetiae, sanationumque: per *δύναμιν* vero

CHRISTIANE BIBLIOTHEK HIRSCHMÜLLER

vero miracula intellexerunt. Quos tamen a verborum proprietate citra necessitatem, non citra vim discessisse, cum grauissimis Theologis nostris existimo. Aliquanto rectius Origenem adu. Celsum ad 1 Cor. II, 4. pronunciaſſe, nec acu tamen rem tetigiſſe perſuadeor, vbi ille (ſicut me ante plures annos legere memini) ἀποδείξει πνεύματος pro Apoſtolica Meſſiae demonſtratione ex Prophetis V. T. deriuata, τὴν δυνάμειος vero pro miraculis habet. Verum enim vero quod primum ad 1 Theſſ. I, 5. adtinet, vim huic loco interpretatio, quam recenſuimus, inferit. ſiquidem donis linguarum, prophetiae et ſanationum conuerſio tanquam effectus proprius nunquam tribuitur, ſed ea vnus Spiritus S. cum verbo coniuncti proprius effectus eſt; ipſaque praeter ea Theſſalonicenſium et vicinorum Beroenſium conuerſio ſolius euangelii praeconio Act. XVII, 2. ſeqq. 11, 12 praeciſe adſcribitur. Accedit, quod, cum in Actis Apoſtolorum plane non legatur, Paulum vllis miraculis apud Theſſalonicenſes uſum eſſe, eo minus inducar, vt credam, verba Pauli : ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι ἀγίῳ ſignificare miracula et linguarum dona, cum potius 1 Theſſ. I, 6. adiciatur, quod Theſſalonicenſes ſermonem Apoſtolicum cum multa calamitate et cum gaudio Spiritus S. exceperint. Quod deinde ad 1 Cor. II, 4. adtinet, Origenis quidem de ἀποδείξει πνεύματος ſententiam non omnino reiicio, qua illam pro demonſtratione prophetica Ieſu Nazareni venditat, ſiquidem haec imprimis omnium non minus Apoſtolorum, quam Pauli κήρυγμα continebatur, vti in Actis Apoſtolicis videre eſt; ita arcte tamen cum Origene verba Pauli accipere neutiquam volo, nedum illi conſentio, per δύν

*ναμιν* hic miracula intelligi. Quid enim causae est, quare ego Apostolum *πειδοῖς λόγοις* miracula et vim patrandi ea minus adaequate opponere sentiam, ubi Paulus ipsum euangelii Praeconium *δύναμιν Θεῆ* appellare toties solet 1 Cor. I, 24. Rom. I, 16? Imo qui possit Paulus *πειδοῖς λόγοις* hic facta opponere, cum ipse Corinthiorum conuersionem non miraculis, sed vni Christi cruci adfixi *κηρύγματι* ita vindicet, vt sese praeter illud nihil quidquam curasse profiteatur, 1 Cor. II, 2. Quae cum ita sint, stat sententia, *λόγον ἀνθρώπινης σοφίας* negari a Paulo conuersionis Corinthiorum causam fuisse, itabiliri autem ab eodem tanquam veram conuersionis causam *τὸ πνεῦμα καὶ δύναμις*, et hanc quidem eiusmodi, qualis est vis verbi diuini, omni arte humana efficacior. Prouoco ad Paulum, optimum suae ipsius sententiae interpretem, qui euangelium de cruento et expiatorio Christi supplicio tanta *δυνάμει* pollere 1 Cor. II, 2. et Gal. VI, 14. adfirmat, vt vni huic, exclusis reliquis omnibus, et omnem conuersionis aliorum vim, et suum *καύχημα* tribuat, et aegerime ferat, hanc Dei *δύναμιν* 1 Cor. I, 24. Iudaeis propria iustitia turgidis offensionī, paganis humana sapientia deceptis stultitiae esse. Quo itaque pacto *δύναμις* nihil aliud est, quam ipsum Christi euangelium. Adiungitur quidem *τῷ πνεύματι δύναμις*, sed sicut Act. X, 38. Iesus Spiritu S. et virtute unctus esse dicitur, id est, virtute Spiritu S.; ita et h. l. *δύναμις* non magis opponi Spiritui S. potest, quam *λόγοι* opponi humanae sapientiae possunt. En Paulinam *πνευματός καὶ δυνάμεως ἀπόδειξιν!* Vbi enim Apostolus Iesum esse filium Dei ex priscis Vatibus accuratius demonstrauerat, et ad eundem pro nobis mortuum vera animi fiducia

fiducia amplectendum peccatores serio inuitauerat ;  
 mox corda ἀνοήτους, pertinacissimos Iudaeos κατανύσσει-  
 δαι, innumeros de Iesu Nazareni, vnius Liberatoris  
 doctrina conuinci, vniuersosque illos Christo viti suae  
 tanquam palmites per fidem insertos efficacissime mo-  
 ueri ac mutari legimus. En πνεῦμα ! En δύναμι !

§. II.

Cuius Paulinae ἀποδείξεως modum si data opera in-  
 uestigandi animus mihi esset, in Actis Apostolorum non  
 minus, quam epistolis largam dicendi materiam habe-  
 rem. Vniuersi enim Christi Apostoli non minus, quam  
 Paulus, quoties μαρτύριον τῆ χειρῶ confirmatum ibant  
 I Cor. I, 6. peccatoresque ad σωτῆρὸν χειρῶ, tanquam ad  
 sacram anchoram ablegabant, ita omni tempore hac  
 demonstrandi lege utebantur, vt Iudaeos aequae ac Pa-  
 ganos εὐτόμως, id est, ex genuinis principiis conuince-  
 rent, vt vtrique ἀσφαλῶς intelligerent, Iesum esse Mes-  
 siam. Speciminis tamen loco vnum alterumque Apo-  
 stolicae ἀποδείξεως exemplum in medium proferam, vn-  
 de ipsa forma Paulinae demonstrandi rationis luculentius  
 patere possit. Quam apte Paulus demonstrauerit,  
 Act. XVII. legimus : Is enim in medio Areopagi verba  
 faciens, breuiori praemissa beneuolentiae captatione  
 v. 22. (ἀνδρες Ἀθηναῖοι) exordioque v. 23. ab altari ἀγνώ-  
 σε θεῶ petitione, enthymema in medium affert, idonee-  
 que demonstrat v. 24. sqq. Deus, inquit, templis non  
 includitur, quoniam α) ille est vbique praefens, β) ipsa  
 domestica vestra principia, quae Aratus descripsit, ab-  
 unde docent, nos ipsos a Deo procreatos, Conditorem-  
 que adeo tantum omni manuum nostrarum opera per-  
 fectiorem maioremque esse. Qualis quidem enthymema

§. II. De-  
 monstra-  
 tionis  
 Spiritus  
 ac virtu-  
 tis mo-  
 dus, et ad  
 aedifi-  
 candum  
 efficacia.

matica Pauli demonstratio vim vocis τῆ πείθειν 2 Cor. V, 11. sine dubio recludit, quae forte non tam adcurate per : schön fabren, quam : per concatenata enthymemata demonstrare, vertitur. Quam adcurate autem idem Paulus hanc ἀπόδειξιν suam ipsis sibi plane familiaribus particulis iustruxerit, ὡστε, ἀρα, ἀρα ἔν, καί, γὰρ, δέ, ὅτι, vt eo clarius alterum ex altero deducere, materiasque optimo ordine connectere possit, vel vna epistola ad Romanos indicat. Ista autem Paulina demonstrandi ratio vniuersae aedificationis Apostolicae nervus erat, vti 1 Cor. III. 9. sqq. Eph. II, 20. sqq. 1 Pet. II, 5. totidem verbis legimus. Eiusmodi quippe demonstratio Spiritus et virtutis non intellectum tantum hominum ἐντόνος conuincebat, sed voluntatem etiam diuinitus percellibat. Qua autem intellectus et voluntatis emendatione cum omnis apostolica aedificatio contineretur, quid mirum, demonstrationem Spiritus et virtutis Paulinae aedificationis centrum fuisse?

§. III.

§. III. Fata demonstrationis Spiritus ac virtutis in coetu christiano.

Quod si vero fata ecclesiae respicimus, ipsa quidem Apostolica πνεύματος καὶ δυνάμεως ἀπόδειξις non magis quam ipsa Scriptura S. penitus nunquam exulauit, sed potius illa, etsi per haereticorum turorem, recte sentientium quorundam torporem, et papatus tenebras inique lacerata et tantum non suffocata, post sacerorum inprimis emendationem caput iterum extulit. Quis enim dubitet, masculam illam demonstrandi simplicitatem, qua prisci nostrates Theologi prae aliis eminebant, apostolicae πνεύματος καὶ δυνάμεως ἀπόδειξις adcurate respondisse? Et quanquam deinceps accidebat, vt homileticae nonnullorum declamationes non tam Scripturae



pturae S. diuitias, quam vanae artis regulas, et alienam exemplorum, similium, emblematum et reliquarum ineptiarum farraginem prae se ferrent, stipulasque et foenum 1 Cor. III, 12. fundamento aedificii superstruerent, atque adeo Paulinam aedificandi rationem eo minus exaequarent, quo longius a sola demonstratione Spiritus ac virtutis recesserant; hodie tamen, quae S. Numinis est benignitas, plerique ab inani sic dicta arte homiletica, garrulaque et inepta loquacitate ad solidam rerum sacrarum demonstrationem, quam *aedificationis* vocabulo insigniunt, prudenter grauiusque redeunt. In his non vltimo loco numerandus est Vir Celeberrimus *Fridericus Andr. HALLBAVERVS* Ienensis Academiae ornamentum, vtpote qui tam in ipso libro, *nöthiger Unterricht zur Klugheit erbaulich zu predigen*, quam in elegantiori eiusdem libri praefatione *von der homiletischen Pedanterey* sese talem praestitit, qualem promisit. Celeberrimus videlicet Auctor vtroque loco homileticas regulas doctrinae, lectionis ac prudentiae plenissimas suppeditat, spuriam declamandi rationem spernit, et ad rectiorem serio inuitat. Praeclare monet Vir doctus, quod scopus sermonum sacrorum ad instituendos et confirmandos in rebus ad fidem et vitam necessariis auditores vnice respicere debeat, si veram eorum, quam vocat, *aedificationem* obtinere velimus P. I. c. 2. §. 3. adeoque Idem ipsam homileticae aedificationis formam, quae intellectus conuictione et voluntatis emendatione continetur, parum negligit, sed citra admista aliena et erronea, perspicue, candide, prudenter ac efficaciter declamari iuber l. c. §. 5. Quin vbi Vir Cel. omnia quaeque ex textu fluere ac deduci vult,  
ne

ne orator aedificatione aliorum excidat ; apparet, HALLBAVERVM nec aedificationis, nec demonstrationis homileticae neglectae accusari a quoquam posse.

§. IV.

§. IV. In Ego profecto tam vtilem laudabilemque Viri Cel. industriam suspicio, celebro, commendo. Interim tamen humanissimum Virum mihi veniam daturum esse confido, quod qualescunque cogitationes meas interlectionem modo laudati libri subnatas cum Auctore non minus, quam vniuersis homiletices cultoribus, quae par est, modestia communicem. Tantum enim abest, vt vellicandi animo quicquam scribam, vt potius communis causae emolumenta cum HALLBAVERO pro virili quaeram, rectiusque edoceri, si erraui, libenter velim. Summa cogitationum mearum haec est, partim quod *aedificatio* homiletica a Viro Cel. commendata, *debeat*, partim quod *possit* adcuratius et specialius definiri, cum ceteroquin in capite causae dissensus non sit. Necessitatem huius rei pace Summi Viri defendo, quippe qui nimis generatim et obiter ab HALLBAVERO tangi existimo, quae primi fundamenti loco collocari optauerim. Laudo quidem recentita superiori aphorismo HALLBAVERI de *aedificatione* praecepta, sed eadem ineptis declamatoribus omnem elabendi rimam obstruere nego. Vix enim deerunt, qui, etsi non reiectis Viri Cel. de simplicitate Scripturae perspicue, candide, prudenter et efficaciter sectanda regulis, sacrum coetum a se satis aedificari posse persuadeantur, etiam si praeter Scripturam peregrina quaedam inspergant, praesertim ubi consuetudine et prauius magnorum virorum, exemplo nituntur. Vix deerunt, qui analogia fidei non leuiter tincti,

HALL-  
BAVERI  
libro ho-  
miletico  
principi-  
um co-  
gnoscen-  
di aedifi-  
cationem  
homileti-  
cam defi-  
deratur.

tinēti, sed prorsus imbuti sint, et nihilominus ea in medium afferant, quae a scopo Spiritus S. abludunt, adeoque nec conuincunt, nec aedificant. Quid? quod non desunt, qui tum demum sese perspicue declamare arbitrantur, quando verborum phaleras enixe quaerunt. Sunt etiam, qui de candore animi magnifice sentiunt et loquuntur, et ostentationi tamen magis, quam aedificationi inter declamandum litant. Vis quidem et efficacia verbi a ministri animo plane non pendet; nec tamen sufficit, candorem nude praecipere, sed lydeo lapide opus est, ad quem declamatio candida examinari queat, vtrum in ea animus dicentis aedificationi obstitat nec ne. Sunt praeterea, qui prudenter satis declamare sibi videntur, modo munditiam doctrinae tueantur, parum curantes, quo ordine aut quibus auditoribus eam exponant. Sunt denique, qui efficacius ex alieno, quam suoapte ingenio se loqui posse autumant, aut praepostere etiam efficaciam quamdam quaerunt. Quae omnia abunde docent, quod, si quis degeneres oratores sacros erroris conuincere et in rectam reuocare viam velit, modum homileticae aedificationis formalem et adcuratius, quam ab HALLBAVERO factum est, describere, et principium aedificationis homileticae cognoscendae constituere debeat, quo confestim intelligi possit, quare necessario citra admista aliena et erronea, perspicue, candide, prudenter et efficaciter declamandum sit, imo quomodo et quando quis vere aedificet. *Principium cognoscendi* aedificationem homileticam requiro, quod *verum, evidens, adaequatum* et *primum* sit. Eiusmodi autem principium nec perspicuitas, candor, prudentia nec efficacia ab HALLBAVERO commen-

B

data

data, est. Vniuersae enim hae virtutes non sunt principia aedificationis *prima*, sed secunda, quoniam perspicuitas, puritas, efficacia et id genus alia ex solida demum et enthymematica demonstratione profluunt. Eaedem etiam virtutes non sunt principia aedificationis necessario *vera*, quando quidem interdum perspicuitas, puritas et efficacia dari potest, vbi a scopo loquentis in Verbo Spiritus S. vel maxime aberramus. Quin *HALLBAVERIANAE* ad aedificationem requisitae virtutes non sunt principia *eidentia*, quia vel ipse error aliquali interdum perspicuitate et efficacia sua non destituitur. Denique illae virtutes non sunt principia *adaequata*, siquidem nec perspicuitas, nec efficacia, nec eiusmodi quid aliud ideam aedificationis plene in se continet, nimirum confictionem intellectus et voluntatis in melius mutationem. Ex quo, opinor, conficitur, aedificationem homileticam per idoneum cognoscendi principium adcuratius definiendam describendamque necessario esse. At enimvero hoc non fieri tantum debet, sed potest etiam omnino. Quod si enim homileticae aedificationis forma et declamationis sacrae scopus non nisi *conuictio intellectus et emendatio voluntatis* est; profecto aliud aedificationem homileticam cognoscendi principium non datur, quam solida sententiae et voluntatis diuinae in scriptura sacra reuelatae demonstratio. Demonstrationem hanc pro fundamento, neruo, lydio lapide et principio aedificationis homileticae vendito, idemque cognoscendi aedificationem principium eiusque rationes hoc loco stabiliam et explicabo.

§. V.

§. V.

Principium cognoscendi aedificationem homile-  
 ticam, quod demonstratione contineri dixi, maxime  
 idoneum et ad persuadendum flectendumque esse ap-  
 tum, nemo vnus negabit, nisi quis cum Scepticis  
 omnem generatim demonstrationem inepte negare,  
 aut cum Scholasticis quibusdam demonstrationem in  
 sacris dari dubitare temere velit. Scepticis communem  
 hominum sensum opponimus, quo illi id satis demon-  
 stratum esse consentiunt, quod necessaria consecutione  
 ex principio fluit, quando quidem nec alio consilio da-  
 ta nobis ratio est, quam vt ignota ex notis conclu-  
 mus, nec sensus veri et iusti inde oriens prius fallere  
 potest, quam constet, sapientissimum non minus, quam  
 sanctissimum et veracissimum Numen falsas menti no-  
 strae facultates indidisse. Scholasticis autem diuinam au-  
 thoritatem opponimus, qua per *θεογνωσιαν* Sacrae Scri-  
 pturae argumentis humanam non minus, quam diui-  
 nam fidem parientibus probatam extra dubitationis  
 aleam conituta nihil maius, nihil fortius datur. De-  
 monstratio enim auctoritate diuina nitens vniuersam  
 Philosophorum demonstrationem post se relinquit lon-  
 gissime, quoniam tum nobis non amplius sicut Philo-  
 sophis cum causis rerum res est, sed cum diuina supra  
 omnes obiectionum insidias posita omnipotentia. In-  
 uicta igitur in sacris datur demonstratio, simulac omnia  
 ex sacris oraculis rite explicatis necessaria consecutione  
 deducuntur, ignotaque ex notioribus illustrantur. Quae  
 cum ita sint, vt nulla vera intellectus conuictio et tu-  
 ta voluntatis commotio nisi ex demonstratione solida  
 fluat,

§. V. Prin-  
 cipium  
 cognos-  
 cendi a  
 nobis  
 constitu-  
 tum est  
 satis ido-  
 neum et  
 ad con-  
 uincen-  
 dum in-  
 tellectum  
 ac com-  
 mouen-  
 dam vo-  
 luntatem  
 aptissi-  
 mum,  
 imo illud  
 ipsa Pauli  
 demon-  
 stratio  
 Spiritus  
 et virtutis  
 est.



fluat, nec vllus in orbe liber fortius demonstrat, quam Scriptura eiusque paladium: *ita dicit Dominus*, quandoquidem demonstratio inde fluens, ad modum ignis et folis se habet, qui simul splendet et per splendorem caloremque sese demonstrat; sic omnis diuina intellectus illuminatio persuasioque atque voluntatis emendatio ab vna demonstratione sensus Spiritus S. in verbo loquentis pendet, eaque est ipsa Pauli *πνεύματος καὶ δυνάμεως ἀπόδειξις*. Nihil in hoc cognoscendi aedificationem homileticam principio aliud requiritur, quam vt in eo eiusmodi demonstrationis vis sit, qualem Paulina ἀπόδειξις prodebat. Paulus vt batur probationibus siue enthymematibus, quae, vt robor in corpore est et in lacertis, non in externo ornatu, in casside, in plumis, in armorum fulgore, quae quidem terrere hostem possunt, sternere non possunt; *σῶμα πίστεως*, corpus probationum ipsi Aristoteli audiunt. Verum vbi Paulina persuadendi vis ex ipsa inspiratione diuina proficiscebatur, et partim in rationibus ex ipsa Scriptura *θεοπνευστα* petitis, partim ex reuelatione sibi diuinitus facta fluentibus consistebat: probationibus et enthymematibus eius nihil potentius nihil diuinius esse poterat, enthymemataque eius τὸ σῶμα θείας πίστεως merito appello. Quae enthymemata dum ipsi sectamur, sensumque Spiritus S. in verbo loquentis dum accurate eruimus, ab aedificatione, conuictione et emendatione, imò a demonstratione Spiritus ac virtutis nunquam aberrabimus. Atq; sic *demonstratio Spiritus ac virtutis* hodiernum est *idoneum cognoscendae aedificationis homileticae principium*. Ecquid enim conuincet, nisi clara notitia diuinae sententiae? Ecquid intus mouebit, nisi voluntas  
Nu-

Numinis inuicte probata? Ecquid aliud aedificabit, quam haec istiusmodi conuictio et concitatio? Quo itaque cognoscendi aedificationem principio rite stabilito, ad quod tanquam ad lydiū lapidem tota declamatio exigi debet, sponte demum fluunt attributa huius principii, quae Vir Cel. HALLBAVERVS recte inculcauit, scilicet simplicitas, perspicuitas, prudentia, efficacia et reliqua, de quorum attributorum nonnullis data opera egit *Georgius NITSCHIVS in Mysta simplici et seruido*. Quomodo enim demonstratio enthymematica, illa Spiritus et virtutis demonstratio vel vno horum attributorum carebit? haec potius omnia ex enthymematica demonstratione tanquam primo principio necessario sequuntur, et cum illa sunt coniunctissima, quanquam iis ipsam aedificationem contineri, cum Viro Cel. adfirmare non ausim. Simulac autem principium meum cognoscendi ab attributis aedificationis homileticae adcuratius distinguo, omnem elabendi rimam degeneri declamantium turbae obstruo. Vnus enim quisque hoc nostro principio ob oculos posito, citra errorem cognoscet, vtrum oratio ad aedificationem, id est, ad conuincendum et flectendum apta sit, an minus; nec quisquam habebit, quo inania sua excuset. Prouoco hic ad communem omnium logicam, quam nobis natura concessit, naturalemque veri sensum, quo vniuersi gaudemus, quotquot plane stupidi aut praeiudicatis opinionibus prorsus occaecati non sumus, vt vim demonstrationum ac probationum sentire queamus. Haec itaque de principio aedificationem cognoscendi eiusque rationibus haecenus!

§. VI.

§. VI. Hoc principium cognoscendi cuius docet, quot partibus constare sacra declamatio debeat.

Transeo nunc ad declarandum, quomodo hoc a me constitutum principium cognoscendi aedificationem homileticam omnium praeceptorum homileticorum neruus, et totius declamationis sacrae regula esse debeat, ita, vt id quod iustum non minus, quam iniustum circa sacrae orationis partes sit, inde addisci possit. Quod si enim vniversa *aedificatio* demonstratione diuinae sententiae aut voluntatis in S. Codice reuelate ad conuincendum intellectum flectendamque voluntatem comparata nititur; audacter protecto pronuntio, ad essentielles sacrae declamationis partes non pertinere, quicquid illam demonstrationem necessario non constituat. Hinc generatim concludo, et essentielles sacri sermonis partes, et fas nefasque circa singulas eius partes, scilicet *tractationem*, quam vocant, et *usum* demonstratione Spiritus ac Virtutis, tanquam vnica aedificationem cognoscendi principio stare non minus, quam cadere. Speciatim autem adfirmo, essentielles sacrae declamationis partes non esse plures, quam ipsam eius *Tractationem*, et inde deriuatam conclusionem tum theoreticam, tum practicam, id est, *Usum*. Quidni enim integra declamatio ad hunc vnum reduci syllogismum possit debeatue: *quicquid dicit Dominus, hoc aut credendum aut faciendum est. Atqui hoc illudue dicit Dominus. E. credendum aut faciendum est.* Maior quidem propositio quia, ipsa sana ratione teste, indubitata est, eam inter declamandum merito praeterimus. Vnde integra declamationis *Tractatio* circa vniam *minorem*, quam vocant, propositionem demonstrandam occupabitur. Haec vero non nisi *entbymema* quoddam refert tanquam principium,



cipium, unde *Conclusio* ducenda est. Posteaquam enim  
*Tractatio* solide declarauit, hanc, non aliam esse Do-  
 mini in S. Scriptura locuti mentem; *Vsus*, quos vocant,  
 naturam Conclusionis induunt, et hoc aut illud vel  
 credendum vel agendum esse postulant. Quod si vero  
 tota declamatio non nisi enthymema est, quis plures  
 illius partes essentiales numeret quam *Tractationem* et  
*par Vsum*? Per nostrum saltem, quod stabilimus, prin-  
 cipium cognoscendi aliter iudicare non licet. Quin  
 idem *Exordiorum* porius multitudinem, tanquam mon-  
 strum ab omni saniori eloquentia alienissimum, et tan-  
 quam spurias sacrae orationis partes proscribit. Equi-  
 dem *Vnum*, et, nisi grauiiores causae aliter iubeant, bre-  
 uius *Exordium* libenter admitto, siquidem illud aut rei  
 demonstrandae lucem affundere, aut animos audito-  
 rum praeparare et excitare, aut grauitatem doctrinae  
 ob oculos ponere non sine fructu potest; at binae aut  
 tres declamatiunculae sub exordiorum specie ac prae-  
 textu consutae pro spuriiis declamationis sacrae partibus  
 non omnino citra verum habentur, quandoquidem hoc  
 dicendi genus aut nullam aut vagam quamdam demon-  
 strationem prae se fert, tempus terit, inopiamque scien-  
 tiae sacrae interdum callide dissimulat. Quanquam an-  
 te omnia moneo, meam de *exordio* sententiam non nisi  
 generatim intelligendam esse, adeoque laudabile gra-  
 uissimorum ecclesiae Doctorum institutum a me neuti-  
 quam reprehendi, quorum utpote stas pericopis adstri-  
 ctorum *exordia* in modum aliquando recte procedunt,  
 ut Doctores aut plures Sacri Codicis partes, quam euan-  
 gelia et epistolas, aut integros etiam S. Scripturae libros  
 explicandi ansam capiant. Cuius consilii cum non alia  
 ratio

ratio fit, quam vt verbum Dei *πλεστος* inter Christianos habiter, violentiaque torquendi pericopas euitetur; plane non repugno.

§. VII.

§. VII.  
Principium cognoscendi non determinat, quid in Tractatione iustum in iustumue sit?

Neque autem tantum demonstratio Spiritus ac Virtutis, illud aedificationem homileticam cognoscendi principium declamationis sacrae partes enumerat, sed accuratius etiam definit, quid circa ipsam *Tractationem*, quam vocant, iustum iniustumue sit. Vniuersa *Tractatio*, vt dixi, non nisi *Enthymema* quoddam est, minorisque propositionis syllogisticae speciem prae se fert. Illud magnum enthymema: *Hoc dicit Dominus*; si ad *aedificationem*, id est, ad conuincendos et emendandos auditores abire debet, ab adcurata diuinae sententiae aut voluntatis demonstratione exegetica nunquam recedet, adeoque illud princeps enthymema, quod integram regit *Tractationem*, plurium enthymematum alma mater nascitur, vbi idem scilicet per noua continuo enthymemata sustentatur et confirmatur. Postquam enim in singulis *Tractationis* partibus noua semper demonstratio requiritur, non potest non integra *Tractatio* meris enthymematibus contineri. Confirmat hanc sententiam suo pte exemplo Paulus Act. xvii. 22. seqq. eoque audacior adfirmo, demonstrationem enthymematicam in *Tractatione* vnice requiri, nisi Scripturae interpres in auram declamare velit. Neque etiam vereor, *Tractationem*, quae per eiusmodi angustioreni enthymematum catenam ducitur, nimis exilem ac tenuem fore. Vt enim taceam, magnitudinem *Tractationis* non nisi ab ipsius *Textus* aut auditorum rationibus pendere (sicut aduersus vulgi errores HALLBAVERVS

RVS

RVS sapienter monet;) enthymematica quoque demonstratio solidam locutionum in Textu obuiarum interpretationem plane non excludit, sed singularum potius propositionum demonstrationem per argumenta ex Sacro Codice petenda, scripturaeque loca non obiter recitata, sed neruose explanata postulat. Quis enim auditorum alias de vera Spiritus S. sententia certus erit? Vnde iterum concludo: id omne in Tractatione iustum esse, quod ad enthymematicam demonstrationem necessario requiritur. Haec enim vna sensum scripturae demonstrandi ratio animos occupat, pondusque declamationibus addit, quantum quidem ab homine proficiscitur, cum ceteroquin Spiritus S. mentem per verbum intus et diuinitus conuincat: qua vero neglecta ac dissipata, vniuersa *Tractatio* neruis destituta languescit ac friget. Etenim quicquid iniustum circa *Tractationem* est, iidem ex nostro cognoscendi principio, enthymematicaeque demonstrationis necessitate luculentius apparet. Quis enim dubitet inique eos agere, quotquot hanc enthymematicam et ex textus argumentis necessario fluentem demonstrationem temere turbant, eamque aut cum vaga quadam dicacitate schematica, allegorica aut alia commutant, aut illicitos in diuellendo textu saltus faciunt, vt dispositionem magis inani arte factam, quam scopum Spiritus S. curare videantur. An autem ex Verbis Scripturae contra Scopum Spiritus S. cum *Alia* *ἐπιπόρευσις πνεύματος καὶ διδαχῆς* expectabitur? Aliena haec saltem sunt, etiam si plerumque vera. At dici non potest, quantopere hic Tyrones peccare soleant, in primis quoribus singulas propositionis suae partes ex ipso *exordio* deriuare student. At dixeris: principium quidem

C

quidem cognoscendi nostrum fas et nefas in *Tractatione analytica* illustrare, non inde autem patere, quomodo in *Synthetica*, quam vocant, versandum sit. Neque ipse etiam nego, me de synthetica declamandi ratione generatim tam magnifice non sentire, quam de analytica. Interim sicut multas homiletarum syntheses non minus, ac meditationes porismaticas ex Textu vere fluentes reprehendere nequeo; ita in Synthesibus pariter non nisi entymematicam demonstrationem regnare et posse et debere existimo. Datur quaedam syntheses necessitas, ne singulis annis idem afferant, qui ad statos textus alligati sunt. Et quanquam in epistolicis pericopis melior via eligitur, qua quis vnum textus sui comma post alterum, quo sequitur ordine, per aliquot annos illustrat, et sic a demonstratione Spiritus S. ne latum vnguem discedit, in euangeliiis tamen, quae historicis passim argumenti sunt, ne hoc quidem tam commode fieri potest. Quacunq[ue] autem necessitate sese commendent syntheses, imperium tamen entymematicae demonstrationis effugere non debent, et quaeuis alia potius oratori sacro eligenda sunt, quam vt ad eiusmodi syntheses dilabatur, quae argumenta contra textus scopum quaerere iubeant, verborum ordinem ac sensum turbent, et sic inani specie decipiant. Ecquid enim eiusmodi synthesis probet, quomodo aedificet, quae auditorum animos citra *ἀνὸς δειξίω* ad veritatis et pietatis studium concitare tentat, risumque iis mouet, qui obsequiositatis non sunt? Male profecto de aedificatione homiletica generatim sentiret, quisquis siue per *analyticam*, siue per *syntheticam* viam ad conuincendos et emendandos auditores tenderet, etiamsi neglecto Spiritus S. scopo argumen-

gumenta prorsus aliena afferret. Vnde ego quidem, etiam si naturalis ordo ac scopus *Textus* cuiusdam doctrinae ex textu deductam, quam *Symbesin* vocant, vel vnico argumento probet, malim *Symbesin* meam ex aliis Scripturae locis extruere, textusque mei inopiam aliunde refarcire, quam Scripturae S. vim inferre, atque ab enthymematica rerum sacrarum demonstratione recedere. Noui *Symbeses* ingeniose factas, noui argumenta earum speciose conglutinata, nec inde titillari aures auditorum posse nego; me tamen ita conuinci et efficaciter moueri parum memini, utpote quem nihil quicquam mouet, nisi illud: *Ita vere dicit Dominus*. Loquor autem non nisi de *Symbesi* aduersus Spiritus S. in Scriptura loquentis mentem composita, non de alia, quae aedificare omnino potest: loquor de illa *Symbesi*, quae id pro sensu Spiritus S. venditat, quod ex propositionibus et verbis S. Scripturae rite explicatis non fuit. Neque ab hac mea sententia necessitas *Variandi*, quae vulgo iactatur, me dimouet, quando quidem declamationes citra laesam Scripturae S. demonstrationem variari possunt, siue variae doctrinae in *pericopa* vere latentes inde repetantur, siue alii Scripturae thesauri cum istis textibus summorum Theologorum exemplo coniungantur. Laudo itaque *Symbesin*, siue ea in istis et domesticis *textus* argumentis, siue aliunde petitis confirmetur: ab omni autem Scripturam torquendi arte vehementer abhorreo.

§. VIII

Transeo a Tractatione eiusque essentialibus partibus et generali ratione ex principio aedificationem homileticam cognoscendi rite constituto a nobis §. 6. 7.

C 2

§. VIII.

Idem cognoscendi principi descri.

pium  
 speciatim  
 quoque  
 conficit,  
 quid cir-  
 ca Tra-  
 ctatio-  
 nem am-  
 plifican-  
 dam, illu-  
 stran-  
 dam, di-  
 gressioni-  
 busque,  
 quas vo-  
 cant,  
 Theolo-  
 gicis or-  
 nandam  
 iniustum ac  
 iniustum  
 fit.

descripta ad *amplificantia* et *illustrantia* Textus, quae  
 vocant, et ad *locos communes digressionesque* theologi-  
 cas, vt, principio cognoscendi nostro duce, intelligatur,  
 quid circa haec omnia fas aut nefas habendum sit. Hoc  
 autem pacto audacter pronuntio, nullum *amplificandi*,  
*illustrandi digrediendique* genus mihi probari, quam  
 quod vberiori enthymematum in Textu latentium et  
 necessaria quidem eorundem expositione contineatur.  
 Hinc iure meritoque *Textus* amplificatur, illustratur et  
 dilatatur, quoties orator sacer arctiorem suam demon-  
 strationem aut per loca Scripturae alia idoneo modo  
 explicata, aut per analogiam fidei ex Scriptura haustam  
 confirmat, eamque ampliozem et firmiorem demon-  
 strationem suam ingenii beneficio perceptu faciliorem  
 reddit ac illustrat. Ingenii quippe aliae partes in de-  
 monstrando non sunt, quam quibus naturalis *Textus*  
 ordo et argumentorum nexus fit clarior. Id autem ac-  
 cidit, vbi obscuriora et angustiora dilatantur, diffusa  
 colliguntur et in compendium rediguntur, difficilia  
 enodantur, et sublimia ad doctam simplicitatem dedu-  
 cuntur: id accidit, vbi vniuersae *digressiones* nostrae ex  
 theologia exegetica, dogmatica, polemica et morali pe-  
 titae a perspicua breuitate ac pia simplicitate ne latum  
 vnguem discedunt. Vbi autem demonstratio ita rite  
 se habet, sponte sequitur, vt ille amplificandi, illu-  
 strandi et digrediendi modus, quem commendamus,  
 aedificationem homileticam mire adiuuet, adeoque iu-  
 stissimus sit. Iniusto contra modo *Tractatio* amplifica-  
 tur ac illustratur, quando quis praepostero iudicii et  
 ingenii vsu inania quaedam et aliena accersit. Ea  
 sunt, quae intellectum nec diuinitus conuincere, nec  
 volun-

voluntatem stimulare possunt, et quae a docta Scripturae simplicitate et ab enthymematica demonstratione ad longius petita, peregrina et ad rem sacram parum facientia transeunt. In exegetica quidem demonstratione non recitandus solum, sed probandus etiam est verborum sensus, quoniam vniuersi auditorum eum illico non perspiciunt. Inepte vero is primum amplificat et illustrat, qui fusa exponit ac circumseribit, quae omnes facile intelligunt, aut qui ea remouet, de quibus nemo cogitat. Id enim amplificandi genus tempori terendo magis et tepidae declamationi, quam demonstrationi ad conscientiam conuenit. Intempestiue deinde amplificanti, qui verborum sensum eruentes multa Scripturae loca ex indice, quem *Concordantias* vocant, recitant, cum non omnino pateat, hanc illamue vocem eadem necessario significatione hoc loco venire, qua alio loco venerat, sed vis potius vocum citra antecedentia et consequentia vix satis tuto indagetur. Vt taceam, auditores facultate iudicium ferendi de critico nostro apparatu non pollere. Vnde vis vocum in Musaeo aptius, quam Cathedra sacra discutitur, eaque, (praeuio tamen priuato examine,) nisi summa aliter iubeat necessitas, nude hic docenda est. Praeterea inconsulto amplificanti, qui varias interpretum sententias enumerant, siquidem illae dubium et ancipitem magis, quam certum auditoris animum reddunt. Neque enim certa et indubita conclusio ex incertis praemissis fluere potest, neque sequitur, ut, quia nonnulli sententiam quandam adstruunt, nonnulli negant, pars affirmantium id quod verum est, necessario perspiciat. Quamobrem nulla ad aedificationem

faciens amplificatio datur, nisi quae sensum Spiritus S. idoneis argumentis confirmat, iniusta vero eadem, quae demonstratione destituitur. Denique perperam etiam plerumque amplificat et illustrant, quotquot exemplis profanis, fabulis et similibus spargendis tempus sine fructu consumunt. De exemplis parum solidi expectandum plerumque est, siquidem vel minima eorum circumstantia totum negotium immutat, nec sequitur, ut, quia ille ita fecit, nobis idem faciendum sit. Ne ipsae quidem sacrae historiae omnes citra delectum et res, quae circumstant, accurate consideratas ubique adhiberi possunt, si conuictioni operam dare volumus. Commendari contra Paulina in adductis biblicis exemplis prudentia satis nequit, quoniam ille analogia quadam fidei practica ex biblicis exemplis inducta grauissimos christianae doctrinae articulos confirmare solet, ubi ex. gr. in litteris ad Romanos et Galathas exaratis vnam iustificationis per fidem viam ipsius Abrahami, communis fidelium parentis exemplo; in epistolae autem ad Hebraeos cap. XI. veram fidem omnis expertem fluctuationis esse debere, *ἐξ ὅλων ὅλων* ex omnium omnium tempore credentium neruose demonstrat. De fabulis et similibus vix multa adiicio: inepta plane sunt ea, quoties ad res satis perspicuas illustrandas et ad faciem soli accendendam afferuntur. Generatim quoque me parum mouet, quod in laudem exemplorum ac similiarum passim dicitur, ubi ea rudiorum memoriae ad commodatissima esse censentur. Quod si enim vel hoc verum est, nihilo tamen secius persuadeor, viuum Dei verbum et vel prima eius elementa rite et solide proposita aduersus peccatorum et mortis impetum plus valere, quam



quam integrum HONDORFFII Theatrum historicum, et tot alios exemplorum, emblematum ac similium thesauros, siquidem aera lupinis comparare licebit. Verum haec de iniusta amplificandi ac illustrandi Tractationem ratione hactenus! Transeo itaque ad id, quod circa *digressiones*, quibus aliquando dilatatur Tractatio, iniustum est. De necessitate theologiarum in sacra declamatione digressionum iam tum quaedam dixi, eaque extra omnem dubitationis aleam posita est, quia, ubi intellectus de grauioribus nec satis obuiis rebus penitus conuincendus est, non nisi ad digressiones exegeticas, dogmaticas aut polemicas confugiendum est: Vbi voluntas vero ad ea, quae non adeo grata sunt, flectenda est, morali sane digressionem opus est, quae de idoneis mediis dispiciat, aduersus peccandi illecebras nos defendat, viam difficultates superandi monstrat, certissimosque nos reddat, cum quod expressa Numinis Voluntate ad hoc illudue officium obligemur, tum quod idem a nobis praestari utique possit. Peccatur autem circa *digressiones theologicas* vel qualitate, vel quantitate, vel numero. De digressionibus *theologicis* hic ago, cum illae ex locis topicis petitae, quibus iniusta amplificandi ratio continebatur, ad aedificationem et demonstrationem prorsus nihil facere possint, etiamsi idonea maxime qualitate, quantitate ac copia gaudeant. Peccari autem circa digressiones theologicas qualitate, quantitate et numero earum, ex ipso aedificationem homileticam cognoscendi principio, quod est demonstratio spiritus ac virtutis, luculenter apparet. Eiusmodi quippe demonstratio ex digressionibus raro proficiscitur, quae ab entymematica deductione longius ab-

sunt.

sunt. Etenim, me iudice, vnusquisque rerum nexus logicus et necessarius longissime praestat lusibus rhetoricis vel ingeniose quaesitis. Hi quidem imperitorum aures titillant, sed parum conuincunt ac flectunt, cum obruant potius et a capite causae abducant. Ad pressa quippe enthymemata vniuersi naturaliter ducimur, adeoque digressiones melioris notae meris constare enthymematibus debent, vt eae facilius percipiantur ac retineantur. Neque demonstratio etiam Spiritus et virtutis commode proficiscitur ex digressionibus, quae nimis multis periodis efferuntur, neque facile oritur ex ipsa nimia digressionum multitudine. Vtraque enim via animi auditorum obruuntur et confunduntur, vt ipse aliquando puer expertus sum, qui me tacito verberare cogitationes conuitio solebam, quod Tractationem sacrae declamationis eiusmodi interdum digressionibus oneratam ferre et intus perspicere nequirem. Et quanquam in his omnibus prudentia Oratoris diuersam auditorum indolem respicientis tantum non omnia valet; generatim tamen non nili eae digressiones tolerandae sunt, quae rem obscuriorem et intricatam, inuolutamque enthymematicae demonstrationis ex aliis Scripturae locis aut analogia fidei peritae ope illustrent ac confirmant: reprehendendae autem sunt, quae tempori inutiliter terendo ansam suppeditant, meram ostentationem prae se ferunt, et scopas tantum non dissolutas referunt, quibus in ordinem redigendis auditorum non sufficit imbecillitas.

§. IX.

§. IX. No-  
rum co-  
gnoscere.

Verum enim vero non Tractatio tantum, sed *Usus* etiam, quos vocant, per demonstrationem Spiritus et *vir-*

virtutis solam in illis vel regnantem vel neglectam aut apti aut inepti deprehenduntur. Quodsi enim vnicum cognoscendae aedificationis homileticae principium enthymematica demonstratio est, et vniuersa declamatio sacra ad vnum magnum illud enthymema: *ita dicit Dominus*. E., recidit; ad vtrumque, *theoreticum* non minus, quam *practicum Vsum* rite formandum id omne requiritur quod in apodictico syllogismo ad ducendam e praemissis propositionibus conclusionem exigitur, adeoque necessarium est, vt *Vsus* ex ipso Textu & principe eius scopo fluant, ne peregrina quaedam concludantur, multo minus aliena admisceantur. Speciales tamen de *Vsibus* regulas praeceptis homileticis seruo. Interim quid primum circa *Vsum*, quem vocant, *theoreticum* generatim iustum et iniustum sit, principium cognoscendi aedificationem, quod constituimus facili negotio docebit. Aedificatio, quam in hoc *Vsu* quaerimus, institutione et conuictione intellectus continetur, adeoque haec vna conuincendi ratio illi scopo respondet, quae doctrinam siue fidei siue vitae per pronam et naturalem consecutionem ex ipsius Textus visceribus deriuat, et ex hoc non minus, quam aliis Scripturae locis probat et demonstrat. Quae idonea et iusta veritatis demonstratio oppositum errorem eadem fidelia funditus perdit, nisi forte propter praesentes aut vicinos errantes fundamenta etiam haeresium dara opera, prudenter tamen, euertenda sunt. Id quod si quis instituit, fas esse demonstratio Spiritus et virtutis docet, vt statum Controuersiae adcurate formemus, solidaque ex Textu et S. Scriptura, non placitis hominum argumenta, repetamus. Quid? quod *Vsus theoreticus* praeter didac-

di aedificationem homileticam principium, demonstratio quippe Spiritus ac virtutis id quoque, quod in *Vsu*, quem vocant, Theoretico fas aut nefas est, declarat.

D

Nice

λιαν & ἔλεγχων & ipsam παράκλησιν homileticam comple-  
 ctitur. Demonstratio itaque Spiritus ac virtutis, illud  
 aedificationis cognoscendae principium praecipit, vt, si  
 recta iustaque hic via incedere velimus, veram et a no-  
 bis rite explanatam confirmatamque doctrinam audi-  
 toribus adcurate commendemus, et aduersus tentato-  
 rum, quos vocant, scrupulos vindicemus, ne nostra ex  
*textu* ducta conclusio dubitatione inani obscuretur. Id  
 ipsum autem nulla ratione commode fiet, nisi Orator sa-  
 cer regenitos et irregenitos probe hic distirguat. Quis  
 enim nescit, aedificationem *homileticam* latius patere,  
 quam *moralem*? Aedificatio *moralis* non nisi πλήρωμα τῆ  
 πνεύματος, et spiritualis vitae, cuius initia regeneratio con-  
 cesserat, incrementum respicit: at *homiletica* contra aedi-  
 ficatio non eos tantum, qui in statu regenerationis ad-  
 huc persistunt, sed ipsos etiam ex hoc statu elapsos ferit,  
 fidemque in illis confirmatum, in his iterum accensum  
 it. Quidni igitur in *Vsu* vel *theoretico* ipso distinguantur  
 auditores, ne homines epicureos de gratia Dei certos  
 esse temere iubeamus, dum sollicitos de salute sua diuino  
 solatio erigimus? Quae cum ita sint, vel tribus verbis  
 obseruo, ex eodem principio, quo, id quod iustum  
 est circa *Vsum theoreticum*, constitui, sponte apparere,  
 quid iniustum ibidem sit. Demonstratio Spiritus ac vir-  
 tutis, ille aedificationis homileticae lydius lapis vni-  
 uersos damnat, quotquot in neruo scripturae demon-  
 strando tumultuariam, intricatam aut ieiuam operam  
 adhibent, sicut non raro in difficilioribus V. T. de Chri-  
 sto oraculis fieri solet, vt Orator sacer res N. T. in illis  
 oraculis praedici recte quidem, sed nimis secure adfir-  
 met, parum autem probet. Demonstratio Spiritus ac  
 vir-

virtutis damnat etiam eos, qui ad veram sententiam probandam toties loca Scripturae alieniora recitant: qui erroneas sententias aut citra necessitatem cum auditoribus communicant, aut saltem citra idonea arma oppugnant: aut qui nec obligationem diuinae cuiusdam legis rite ostendunt, nec de curata legis interpretatione cogitant. Omnis enim confestim expirat vis praecepti aut prohibiti, simulac legem non esse vniuersalem, nec intentionem legislatoris ad vniuersos obligandos progredi suspicari licet. Et dici sane non potest, quantopere hac via hominum conscientia turbetur, sicut tempore Apostolorum in pugna falsorum doctorum pro lege Mosaica, et Reformationis tempore in controuersiis de vsura, rigore sabbati Iudaico et aliis apparuit. Quid autem non accidet, si interpretes Scripturae intentionem legislatoris omnes obligandi adcurate non inuestiget? Quid fiet, si quis omnes ADAMO, NOAE et aliis praescriptas leges, ritus V. T. et omnia exempla biblica existimet nobis hodiernum iniicere vinculum obedientiae, quod ex obligatione et intentione legis vnice fluit?

§. X.

Restat nunc *Vsus*, quem vocant, *practicus*, circa quem quid iustum iniustumue sit, principium cognoscendae aedificationis, demonstratio Spiritus ac virtutis pariter conficit. Haec sacrae declamationis pars, quod nemo non nouit, admonitione constat ad colendam virtutem et fugienda vitia. Neque autem efficax admonitio citra conuictionem intellectus et commotionem voluntatis, neque haec vtraque citra solidam demonstrationem datur. Vnde facile intelligitur, vir-

§.X. Idem  
cogno-  
scendae  
aedifica-  
tionis  
principi-  
um docet,  
quid in  
Vsu Pra-  
ctico ius-  
tumue  
tu-  
sit.

tutes non minus, quam vitia adcurate in hac sacrae Orationis parte describi, argumentisque ex *textu* petitis probari debere, studium virtutis ac fugam vitii ad christiani hominis officium necessario pertinere, nisi forte in ipsa *Tractatione* aut *Vsu theoretico* illud iam tum factum sit. Bina autem, si vere aedificare volumus, in hoc *Vsu* demonstranda sunt, alterum, *quod necesse sit*, alterum, *quod fieri possit*, vt vitia fugiamus, virtutem colamus. Non solam officii necessitatem demonstrandam esse existimo, sed ostendendum etiam est, quod obsequi homo diuinae voluntati possit. Quemadmodum autem demonstratio necessitatis ad omnes, regenitos aequae ac irregenitos spectat, sic facilitas obsequii proprie, in solos regenitos cadit. Interim ne ipse quidem irregenitus de necessitate obsequii satis prius persuadetur, quam ipsi infelix & frequens ille scrupulus exemptus sit, quod homo plane non possit se ad Dei voluntatem componere. Itaque homo diuina fide destitutus cum de inopia virium naturalium ad obediendum Deo, tum de necessitate quaerendarum spiritualium virium ante omnia conuincendus est, ne pergat necessitati virtutis in S. Scriptura clarissime patefactae suam pertinaciter opponere impotentiam. Vnde patet, quod alia demonstratio, aliaque conuincendi et flectendi ratio penes irregenitos ac regenitos hoc loco requiratur: irregenerati quippe de plenaria virium naturalium impotentia ad praestandum Deo qualecunque obsequium ante omnia conuincendi, et ad gratiam Dei quaerendam vnice ablegandi sunt: regeniti contra in conuersionis suae initio, quo iam tum gaudent, aduersus humanam prauitatem fortiter muniendi sunt: irregeniti ad media, quae huc vsque con-

tem-

temferunt, compellendi, regeneriti vero, vt fideliter vtantur concessis gratiae medijs, excitandi, et aduersus sanctificationis siue incrementi vitae spiritualis obstacula instruendi sunt. Profecto tanta diuersitas subiecti in *Vsu practico* hypotheticam et diuersam demonstrandi rationem postulat. Quis enim dubitet, diuersa conuersionis et magnae poenitentiae, diuersaque sanctificationis et quotidianae poenitentiae obstacula diuerso modo tollenda penes irregentos aut regeneritos esse, quorum vtrorumque voluntatem flectere volumus? Quis dubitet, irregentos de falsa humanae virtutis specie, regeneritos de veris diuinae et per gratiam in nobis effectae virtutis signis, id est, de discrimine naturae et gratiae erudiendos esse? Quis denique dubitet, alias esse mancipiorum peccati aduersus Dei praecepta obiectiones, alias regeneritorum, et inprimis tentatorum dubitationes? Apostoli saltem, et inprimis Paulus hanc hypotheticam demonstrandi rationem adcurate obseruat. Is enim ad Galathas, Ephesios, Colossenses et reliquos scribens, quos priori epistolarum parte tanquam regeneritos et iustificatos descripserat, posteriori earundem parte demum ad officia Christiano homine digna cum fiducia reuocat. Ex. gr. Col. III, 1. Apostolus non nisi eos, quos cum Christo in iustificatione resurrexisset, in antecedentibus pronuntiauerat, iubet superna quaerere. Et sic tot localis. *Hypothetica* igitur *Vsus practici* demonstratio vtramque hic paginam, id est, ius et netas facit. Quis enim inique agere illos neget, qui incrementum vitae sanctae ab vniuersis, irregentis aequae ac regeneritis per saltum postulent? Neque enim tantum hoc pacto surdis fabula narrabitur, quia mortui illi in peccatis

vires spirituales, quas nondum habent, exferere nequeunt, sed neglecta etiam aut plane obiter commemorata conuersionis et magnae poenitentiae necessitas facit, vt ipsi irrogeniti tumultuaria eiusmodi ratione ad vitam sancte agendam praepostere excitati, nubem saepius pro lunone arripiant, vitamque cum exteriori honestate coniunctam pro christiana renouatione habeant. Hisce quippe idem, quod aegrotis accidit, vt impurum corpus, quo magis nutritur, eo magis laedatur. Vt alia tumultuariae in *Vsu pratico* demonstrationis incommoda taceam, ex. gr. quando aut secure viuentibus lex damnans non satis inculcatur, aut in statu seruitutis legali degentibus limpidi Euangelii fontes non ita aperiuntur, vt miseri isti intelligant, extra Christum vera fide apprehensum nec quicquam solatii, nec efficaciae illis expectandum esse. Etenim sicut saxeam securorum hominum cor sine praeuis damnantis legis fulminibus per Euangelium non magis, quam dura filex per oleum mollitur; ita contra lex neminem vltra terere debet, simulac per veram contritionem homo omne peccatorum genus serio detestatur, vtpote qui potius confestim ad Christum vera fide amplectendum adducendus est, vt ex illo tanquam vite sua succum spiritualis vitae hauriat. Haec quippe vera demonstrandi in *Vsupratico* ratio est, si quidem ad *ἐπιγνωσιν καὶ αἰδουσαν* auditores allicere volumus. Amor enim Christi in cor effusus et cruentum Iesu sacrificium pro mundi peccatis oblatum fortiori tum modo penetrat, quam subtilissimae morales argutiae, vti nostratum Theologorum nonnulli quibusdam Anglis dudum non sine causa in memoriam reuocarunt. Valeat igitur in *Vsibus* aliena sub-



Subtilitas critica et moralis, quia vtraque haec tepet ac friget: regnet contra enthymematica Scripturae simplicitas, regnet demonstratio dogmatica et moralis, quarum illa non per locos topicos et inanem loquacitatem, sed per diuina argumenta peccatorem conterat et fide imbuat, haec renatos ad spiritualis vitae incrementum, ad discrimen naturae et gratiae cognoscendum, et ad quaeuis officia christiana trahat.

§. XI.

Haec itaque demonstratione Spiritus ac virtutis, §. XI. tanquam vero cognoscendae aedificationis homileticae <sup>Conclu-</sup> principio dicta sufficiant. Ex his enim iam tum appa- <sup>sio et in-</sup> ret, quis *vniversae homileticae aedificationis* neruus ac <sup>uitatio ad</sup> lydius lapis, quatenam essentiales sacrae declamationis <sup>praelecti-</sup> partes, quid iustum ac iniustum in singulis partibus, ne- <sup>ones.</sup> cessario sit; apparet inde etiam, quod docta simplicitas, perspicuitas, sermo et reliqua sacrae declamationis attributa ab aedificatione homiletica separari nullo modo debeant. Itaque hic adquiesco, et plura meis *demonstrationum homileticarum* publicis praelectionibus seruo. In his enim, quid vitandum aut faciendum sit in *exordio*, in *tractatione textuum* historicorum, propheti- corum, aut typo, mysterio et doctrina morali conspicuorum, quomodo in *Vju theoretico* FVNDAMENTVM, quomodo in *practico* ORDO salutis ad ductum *Tractationis* accurate demonstrari possit ac debeat, fusius exponam. Imo, nisi me omnia fallunt, praelectiones, quas molior, plerisque homiletici argumenti voluminibus idoneam faciem criticam simul praefereant, vt vnusquisque *rectiori* magis exemplo, quam inuisa alienorum errorum censura edoceatur, vtrum hic ille

ue

ue liber, quos *Postillas* vocant, in pretio habendus sit, an minus. Recordari hic subit Viri, dum viueret, ad miraculum vsque perspicacissimi, *Augusti GISII*, Secretarii quondam Hufumensis, iisdem cum auo meo parentibus nati, qui, etiamsi Regiomontanorum et Helmstadiensium disciplina non leuiter tinctus, sed plane imbutus esset, vitia tamen summorum Doctorum suorum homiletica solido et raro tum temporis acumine in libro: *Beschreibung eines seltsamen Gast-Mahls*, ante aliquot annos propter iniquam GISII Arnoldinam censuram vna cum aliis eiusdem opusculis Ploenae 1711 edito ita eleganter ob oculos posuit, vt mirandum sit, tot innumeros post illum diutius in hac re coecutiuisse. At enimvero larga hodie vbique eorum seges est, qui spreta inani arte homiletica, demonstrationi spiritus et virtutis vnice litant. Horum egregia exempla sequi vniuersos decet, quotquot diuinae pacis hominibus deferendae interpretes futuri sunt. Quae eadem cum ipse etiam strenue sequar, maiori profecto cum fiducia Nobilissimos Doctissimosque Dominos Commilitiones ac Auditores meos ad praelectiones homileticas, quarum initium ex tabula significabitur, humaniter amiceque inuito.




00 A 6314

5b.

17

Bl. 141





7. 2

5

IOACHIMI OPORINI  
PROFESSORIS EXTRAORDINARIJ

**INVITATIO**

NOBILISSIMORVM DOCTISSIMORVMQVE  
DNN. COMMILITONVM AD PVBLICAS  
DEMONSTRATIONVM HOMILETI-  
CARVM

**PRAELECTIONES:**  
CVI PRAEMITTITVR

*DISSERTATIO*

DE

**DEMONSTRATIONE  
SPIRITVS AC VIRTVTIS**

TANQVAM  
VERO AEDIFICATIONEM HOMILETICAM  
COGNOSCENDI PRINCIPIO.

---

RECVSÆ GOTTINGÆ  
IMPENSIS CHRISTIAN LEBRECHT HIRSCHII  
MDCCLXXXVIII.